This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

LI IG
542.50

Lt 16.542.50

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE LIERARY OF

ALBERT ANDREW HOWARD

CLASS OF 1882

POPE I ROFESSOR OF LATIN

RECEIVED NOVEMBER 24, 1925

Zehnter Jahresbericht

über das

Gymnasium der Stadt Celle

von Ostern 1840 bis Ostern 1841,

womit zu der

öffentlichen Prüfung sämmtlicher Classen der Anstalt,

welche

den 1. und 2. April von Morgens 9 Uhr an gehalten werden wird, sowie zu einer am 5. April von Morgens 10 Uhr an zu veranstaltenden

Redeübung

die

Beschützer und Freunde des hiesigen Schulwesens

pflichtmäßig einladet

Dr. Ernst Kästner,

Director des Gymnasiums.

Voraus geht eine lateinische Abhandlung über einige Stellen des Livius.

Celle, 1841.

Gedruckt in der Schweiger- und Pick'schen Buchdruckerei.

Lp 16.542.50

HARVARD COLLEGE LIBRARY
FROM THE LIBRARY OF
ALBERT ANDREW HOWARD
NOVEMBER 24, 1925

Quaestiones Livianae.

Scripsit

Ern. Kaestner.

Quas paucis abhinc annis, quum de editione historiarum Livianarum a *Luenemanno* exhibita ferendum esset in ephemeridibus literar. Jenensibus judicium, coeptas de corruptis quibusdam illarum locis quaestiones in dijudicandis continuavimus editis nuper a cl. *Ottone Divinationibus Livianis*, eas aliis nonnullis hoc loco augere placuit, quae tum ad defendenda tum ad coarguenda emendandaque et ipsae pertinent librorum manu exaratorum verba de integritate suspecta.

Libri vigesimi quarti capite octavo Livius orationem prodidit creatis T. Otacilio et M. Aemilio Regillo consulibus a Q. Fabio eo consilio habitam, ut auctor esset populo, ne ad illum imperium deferretur belli per hunc annum cum Hannibale gerendi. Cujus quum ingenio non magis arteque, quam ducum Romanorum erroribus clades acceptae sint, imperatore opus esse, docet vir rerum peritissimus, illo qui neque ingenio inferior sit, neque rei militaris scientia, atque, neglectis privatis necessitudinibus, quippe cujus ex sorore neptem in matrimonium duxerit Otacilius, ita potiorem habere profitetur rempublicam, ut, quoniam in minori illum re non satis gnavum experti sint, eorum obviam eundum censeat suffragiis, illum qui creaverint consulem. Ab his deinde conversus ad Otacilium huic vicissim persuadere studet, ne imponi cervicibus onus sinat, sub quo concidat. Ita vero quum instituta sit et conformata illa oratio, ut ab eorum, qui audirent, aliis ad alios in vices flecteretur, factum est hoc loco, ut, pro dolor! sexcentis aliis, ut eorum, qui ex alio in alium transscriberent libros, incuria vel torpore hic illic singula verba corrupta sint et mutata in pejus. Postquam enim exprobravit illi affini Fabius rem minus gnaviter prospereque gestam his verbis: »*haud sane, cur ad majora tibi fidamus, documenti quidquam dedisti. Classem hoc anno, cui tu praefuisti, trium rerum causa paravimus: ut Africae oram populare tur: ut tuta nobis Italiae litora essent, ante omnia, ne supplementum cum stipendio commeatuque ab Carthagine Hannibali transportaretur* —« exspectes haec: per me licet, creent te consulem hujus anni, si quid illorum te duce eventum habuit. At

vero in proximis verbis, ut vulgo scribuntur, non amplius verba illi Otacilio dicta, sed haec legis: »*create consulem T. Otaciliúm, non dico, si omnia haec, sed si ali-*»*quid eorum reipublicae praestitit*;« quibus alloquitur Fabius cives. Hinc quod iterum animum sermonemque advertit ad Otacilium, haec criminatus: »*sin autem te clas-*»*sem obtinente — quaelibet Hannibali tuta atque integra ab domo venerunt, si ora* »*Italiae infestior hoc anno quam Africae, fuit, quid dicere potes, cur te potissimum* »*ducem Hannibali hosti opponant?*« hoc efficit, ut equidem a scribis peccatum esse aliquid censeam in illis *create consulem T. Otacilium, si — praestitit*, quia compellatio, qua illum affatur Fabius, mirum in modum illis turbatur, quibus hic appellat cives ita, ut paullo post compellet iterum illum. Neque enim credibile est, in oratione, quae, si cetera inspicis, satis moderate concinnoque decurrit, alloquium ita variasse concionantem, ut dura ista inde exsisteret orandi ratio. Et tamen in libris manu exaratis, si quidem recte omnes h. l. sunt inspecti, et satis certus ejus rei auctor est *Drakenborchius*, corruptelae vestigium deprehensum esse videtur nullum. Quid vero? Utcunque male audiunt, si qui novandi praecipiti studio abrepti medicamentum comminiscuntur, quo loco opus eo non sit, in quos quidem saepe cadere fateor Ciceronianum illud *sua cuique satis placent*, tentandum mihi videtur aliquid ad resarcienda ea, quibus solutus videtur illo quidem loco justus dicendi ordo. Et videor ego mihi quidem odoratus esse vitium in duobus illis verbis: *create* et *praestitit*, quibus aliquantulum mutatis idem ego confido, formam orationis, qualem olim fuisse consentaneum sit, reparari posse. Me igitur auctore scribes: *Creanto te consulem T. Otacilium, non dico, si omnia haec, sed si aliquid eorum reipublicae praestitisti.* Facta hac mutatione, nisi egregie fallor, copulantur ista verba cum praecedentibus *dedisti atque praefuisti;* copulatur simul arcte apteque sententiarum series. Illo in imperativo qui nervus insit et aculeus orationis, me non monente, vides, siquidem, illo uti, non modo concedentis est, sed adeo imperantis, dummodo res ferant. Quomodo consurgat etiam paullo post sermo, suo loco a me indicabitur. Nunc quidem respondendum est ad quaestionem, quae in primis forte labris jam tibi haeret, qui tandem factum esse putem, ut literae vocabulorum *creanto* et *praestitisti* mutarentur a scribis in *create* et *praestitit*. Sigla tu nosti per compendium literarum scribendi inventa a scribis otio parcentibus; quare fingas, quaeso, mente, haec aliquem exarasse mutilatis decurtatisque signis *creāt t'*, et similitudine haec prope abesse vides ab his: *create*; item *praestitī*, et habes facile *praestitit*, eodem modo, quo *exīt* pingi solebat pro *existit* (vid. Waltheri lexicon. diplomat. pag. 118), et *cbti* pro *combusti* (vid. ib. p. 39).

Excipiuntur illa verba ab his: *Sin autem* etc., quae supra transscripsimus, et denique haec sequuntur: »*quid dicere potes, cur te potissimum ducem Hannibali hosti*

»*opponant*?« quae prima quidem specie nil praeferunt, in quo offendas. Verum si quaeris, num haec ita scripta inveniantur in libris m. exaratis, respondetur, in duobus, optimae notae qui esse recte perhibentur, Put. et Flor., non in *opponant* exire illam periodum, sed in *oppugnabant;* in quo quum dubii haererent *Salmasius* atque *Gronovius*, eo inclinavit eorum animus, ut *opponamus* illius in locum substituendum censerent, quod non male congruit cum proxima sententia: »*Si consul esses, dictato*»*rem dicendum — censeremus.*« Quae mutandi ratio quum neque aliis neque sibi arriserit, *Divinationum Livianarum* auctor (v. clar. *Otto*) sic statuit illud dictum esse mutandum: »*quid dicere potes, cur te potissimum duce Hannibalem hostem oppugne*»*mus?*« Et egregie ille quidem, si de sententia quaeris; paullo audacius, si de formis literarum, quae in illis priscis libris vides; et haud scio an sine idonea causa. Nam est, me quidem judice, quomodo propius accedas ad illam codd. Put. et Flor. formam, si, mutata una litera, scribis *oppugnabunt*, modo alia utaris ceterorum hujus periodi verborum, quam quae vulgo fit, distinctione hac: »*sin autem, te classem obti*»*nente — quaelibet Hannibali tuta atque integra ab domo venerunt; si ora Italiae in*»*festior hoc anno, quam Africae fuit; quid? dicere potes? cur te potissimum duce Han*»*nibalem hostem oppugnabunt?*« Qua facta distinctione servari fere codd. lectionem posse ita, ut etiam vis accedat orationi, quis est, qui neget? Etenim addita verba *dicere potes*? quibus fere explicatur illud *Quid?*, amplificant non tantum orationem, sed addunt ei etiam vim impetumque. Neque vero hoc latet, conspirare amice hanc tertiam futuri personam cum conjectura mea *creanto te. Quid?* simili brevitate usurpatum vides ab *Livio* 1, 40, c. 13: *Quid? quies qualis? quo* etc. *Oppugnare* non est, cur interpreter exemplis illustratum a. cl. *Ottone.* Dativum *Hannibali* quis primus invexerit, ex *Drakenborchii* notis non cognoscitur; ex codd. si esset petitus, accederet praeterea, quo defenderes. Nam, ut paulo ante (§. 14) *transportare Livius* non cum praepos. *ad* conjunxit, sed cum dativo *Hannibali*, ita poterat non minus recte, quam *occurrere rei*, dicere: *oppugnare Hannibali hosti*, pro pugnare contra Hannibalem, sed ita, ut modo conatus pugnandi significaretur, quemadmodum *expugnare* a *Livio* dicitur pro *vincere*, *debellare* aliquem (37, 25); siquidem omnino hac de causa illo verbo *oppugnandi* usus esse putandus est *Livius*, ut eo ipso *Fabius* iterum significaret, res adhuc ab *Otacilio* gestas fidem non facere, fore, ut vel ad impugnandum tantum Hannibalem aptus esset, nedum ad depugnandum (*ad majora!* §. 13).

Lib. XXIV, cap. 16 in. ad inflammandos justo pugnandi ardore militum animos diu neutro inclinata pugna dimicantium, valuisse tandem narrat Livius hanc Gracchi vocem: »*esse nihil, quod de libertate sperarent* (mancipia et ex ergastulis »petiti), *nisi eo die fusi fugatique hostes essent;*« quorum verborum in animos mili-

tum vim his exprimit: »*Ea demum vox ita animos accendit, atque renovato clamore »velut alii repente facti, tanta vi se in hostem intulerunt, ut sustineri ultra non possent.*« Quae quum ita dicta essent, ut haererent scribae et deinde etiam interpretes editoresque nonnulli in conjunctione particularum *ita* et *atque*, in aliis libris manu scriptis omissa est conj. *atque*, in aliis substitutam vides vel *et* vel *ut*; praeterea pro *intulerunt* formam *intulere*, etiam *intulerint*. Pro part. *ita*, quam abundare sibi persuasisset, Gronovius scripsit *ira*, utrumque vocabulum saepe commutatum esse afferens exemplisque probans, et omissa conjunctione novam periodum a partic. *Renovato* exorsus est. Cujus exemplum a *Drakenborchio* non improbatum nuper secuti sunt *Bekkerus* et *Kreyssigius*, invitis illi codicibus. Quam deinde *Forbigerus* (in prolusione quadam Lipsiae a. 1825 edita et ab *Ottone* in *divin. Livian.* commemorata, quam mihi inspicere nondum licuit) iniit rationem, ut defendens vulgatam, quam dicunt, particulae *ita* subjiceret notionem verborum *hoc modo, hoc rerum statu*, ea *Handius* (ad Horat. Tursell. Vol. III, p. 489) refutata, explicationis causa reddidit illa verba per haec: ea vox ita pronuntiata. *Maxime* vero *quaesitam* hanc esse professus, doct. Otto nuper hanc viam iniit, ut periodum illam ita refingeret: »ea demum, vox *ita* »animos accendit, *ut* renovato clamore velut alii repente facti, tanta vi se in hostem »*intulerint, ut*« cett., in partes vocatis codd. Lov. 1 et Voss., in quibus *ut* pro *atque* invenis. Utut autem et a sententiarum apto connexu et a codicum duorum auctoritate defenditur ista mutatio, regulam illam, difficillimam quamque lectionem, modo sententiis auctoris et colori orationis solito ne omnino repugnet, faciliori potiorem esse ducendam, ut hoc loco migrem, a me impetrare non possum. Accedit hoc, quod *ita* animos *accendit, ut* cett. pro *incendit, ut* minus aptum mihi videtur. Nam *accendere* est, primos igniculos homini injicere ad inflammandum aliquod studium; *incendere* autem est, ardoris atque studii flammis aestuque animum omnino afficere (Conf. Doederl. synon. lat. Vol. IV, p. 249); quare, si *ita* ad impetum, quo exardescebant animi, referretur, et ad significandam ejus vim sequeretur *ut* cett., minus apte antecederet *accendit*. A *Forbigero* autem, si recte ex *Ottonis* libro cognovi ejus interpretationem vocabuli *ita*, et simul ab *Handio* hactenus dissentire mihi videor, quod particulam *ita* explico: non incertis verbis, ut antea (*non dubiam libertatem futuram strenuis viris*, id est, si strenuos se praebuissent), sed discrte edicentis vox, libertatem sine victoria fore nullam. Omnino nemo sine dubio haesisset in particulis *ita* et *atque*, si part. *ita* posuisset *Livius* in ipso periodi initio, sic: »*Ita ea demum vox ani*»*mos accendit.*« Verum quarto demum loco *ita* collocavit scriptor, ne imminueretur pronominis *ea* vis et momentum. *Ea* enim, a *Forbigeri* mente dissentiens, non ad ultima illa *Gracchi* verba *esse nihil* seqq. revoco, ut haec illis opponantur contumelio-

sis cavillationibus (*Bruttium Lucanumque, toties a majoribus suis victos subactosque*) quibus *Gracchus* hujus moniti extremi exordio prosciderat hostes; sed pronomen *ea* complecti, dico, totam hanc extremam imperatoris orationem, quae tum iis, quae antecedente die auctoritate senatus de libertate diu sperata, et nunc demum iis concedenda, qui retulissent ex proelio hostis abscisum caput, ad augendos mancipiorum animos pronuntiaverat (cap. 14, §. 5: »*tempus venisse eis libertatis*«), tum iis, quibus eo ipso die, postquam quatuor horis aequo etiamnum Marte acriter pugnatum erat, quum capita hostium praecidenda moram attulissent dimicandi, dato iterum signo, admonendi causa, projectis illis capitibus, non dubiam libertatem sperare jusserat strenuos viros (»*projicerent capita, invaderentque hostem seqq.*« §§. 5 et 6), ita opponitur a *Livio*, ut eam quoque nonnisi eo ita valuisse demum diceret, quod extremis verbis libertatem illis nisi hoc die victoribus negaret imperator. Qua ratione si quum particulam *ita* accipis *), tum scriptoris sententias inter se conjungis, quid gravius jam esse potest, quam continuata narratio per particulam *atque*, cujus eam esse constat vim notionemque, ut in narrationibus significet, alteram rem, etiamsi fortasse non exspectaveris, excepisse necessitate quadam illico alteram ex illa natam, velinde aptam. Vid. *Drakenb.* ad 1, 2, 7, cap. 21, 7, et *Grysar.* stil. lat. doctr. p. 497.

Lib. XXIV, 22, 2 in media narratione eorum, quae necato Hieronymo tyranno moliti sint cives Syracusani citius, quam pro spe et exspectatione, vindicati in libertatem, legimus verba quaedam, quibus, quum repugnent usitatae orationi, scrupuli injecti sunt editorum animis non tenues. Haec enim: »*Servitudinis indignitatisque homines expertos, adversus notum malum irritatos esse*,« tum inauditam substantivi *servitudinis* exhibent formam, tum genitivum insolentius ex participio *expertos* aptum. Quae num ferenda sint, quum quaesitum olim sit, etiamnum ambigitur. Nam, quae semel atque iterum tentata sunt ab iis, qui ista mutaverunt in *servitii taedium*, vel *servitii poenas indignitatesque*, non probata sunt nuper *Ottoni* cl., qui, in emendando ultra esse progrediendum ratus, scripsit: *servitutes indignitatesque homines expertos.*

---

*) Simili notione et simili nexu *ita* a *Livio* semel atque iterum usurpatur. Compara: lib. I, c. 5, 3: »rem immaturam nisi aut per occasionem, aut per necessitatem, aperiri noluerat; necessitas »prior venit: *ita*, metu subactus, Romulo rem aperit;« ubi *ita* idem est, quod *eo*, seu: quod quum factum esset (Germ. somit), quem locum aliter intellexit *Forbigerus*; et haec: lib. 37, cap. 34, alii tradunt, cum turma Fregellana missum exploratum ad regia castra — quum reciperet sese, in eo delapsum tumultu ex equo cum duobus equitibus oppressum *ita* ad regem deductum esse; ubi *ita* fere idem est, quod Graecorum ὡς εἶχεν. Nostro igitur loco facit addita part. *ita* ad adumbrandum plenius casum narratum et oculis quasi ad spectandum proponendum, cujus rei mirus artifex est *Livius*. —

Et hic quidem quum recte docuerit, verbum *experiri* nuspiam inveniri cum genitivo conjunctum nisi locis de fide suspectis, hoc non vidit, posse quidem *expertus* cum genitivo non minus recte conjungi, quam *impatiens*, *patiens*, *sciens* (rerum), sed non ea ratione, quae huic loco conveniat. Etenim est *servitutis* et *indignitatis expertus*, qui servitutis gnarus est, qui aliquam collegit servitutis notitiam, atque haec notio levior et tenuior est, quam quae huic loco adaptari possit. Quod improbavit ille formam *servitudo*, me quidem approbante fecit, quoniam non intelligitur, cur *Livius* insolenti usus sit forma, cujus indoles et natura non ea esset, ut graviorem sententiae adderet vim, quam usitatae ceterae formae *servitus* et *servitium*; provincialem autem quandam, id est Patavinam formam vocabuli esse, quum alia desint documenta, equidem mihi non persuaserim. Quod autem mutato genitivo non tantum *indignitates* scripsit, qui numerus in se habet, quo optime defendatur, sed etiam *servitutes*, hoc quidem sine aliqua factum est auctoritate vel naturae hujus substantivi vel scriptoris cujuspiam. *Indignitas* enim est, quidquid sive rei sive facto inhaeret indigni, atque ea multa quum possint esse, dici etiam possunt *indignitates*; *servitus* autem est sive extrinsecus oblata sive in animo nata serviendi necessitas et conditio; quare neque consentaneum est, neque credibile, plurali numero *servitutes* esse dictas, *Livii* quidem aetate; nam Ulpiani quidem auctoritas hac in re nulla est. Jam ut ipse in medium conferam aliquid ad sanandum locum illum corruptum, explorata ab omni parte veteris codd. lectionis forma *servitutidius*, hanc mutationem propono, ut scribas: *servitutis injurias indignitatesque*, ita ut illae ad violata referantur civium jura, hae ad ignominias corporibus adspersas; siquidem (cf. c. V, 5) »*regiam Hieronymi luxuriam sequebantur contemtus omnium hominum, superbae aures, contumeliosa dicta, rari aditus — libidines novae, inhumana crudelitas;*« mox (c. VI, 9) *levitatem ac jactationem animi neque mirabantur in furioso juvene, neque arguebant*; denique c. XXI, 3, commemorantur »*tyranni foeda scelera foedioresque libidines.*« Neque *injurias* per compendium sic scriptum: *inir*^{s} vel *īuas*, vel *diurā* (v. *Waltheri* lex. dipl. pag. 171) nimis dissimile est extremis litteris vocabuli *servitutidius*^{s}; etenim, quum constet, scribarum mediae aetatis usu receptum fuisse, ut *servitut̄* scriberetur pro *servitutis*, remanent literae *idiu*^{s} facile casu quodam transformatae ex illo siglo: īuas. Juvat etiam conferre l. 39, 37, 4, ubi pro *servitutis injuriis* invenis *servitutis cicatrices*. Paullo moderatius ac lenius si cui videatur hoc vocabulum, de eo monitum volo, ipsum Livium concionantis illius orationem *et liberam et moderatam* dicere (§. 1). Quamquam eïdem scriptori *etiam mulierum injuriae* dicuntur pro vi et stupro oblato.

Lib. XL, 5, 7 haesitaverunt in uno verbo interpretes propter eam rem, quod nescirent, utrum substantivum *spretio*, quod, praeter hunc locum, nulla alius nititur

auctoritate, ferrent, an non item. Et damnandi quidem ejus ejiciendique primus suasor fuit *Gronovius*, idemque inventor emendationis *ad contemptionem* vel *mentionem*; alter *Doeringius* proposita lectione *ad irrisionem* vel *ad statum*; tertius nuper cl. *Otto* substituto vocab. *rem*; quae mutationes ad unam omnes, si de sententiae inde effectae convenientia quaeris, a vero non nimis abesse videntur, excepta ultima, quum vocabuli *rei* notio latius pateat, quam ut loco, quo positum est, conveniat. Verum, ut accuratius examinetur, quo inclinet veri lanx, altius est res repetenda. Codices, quorum quidem *Drakenb.* nobiscum communicavit notitiam, exhibent tum *spretionem*, tum *spem*, utram singuli, ex illius recensione non satis liquet, nisi quod uterque *Pal.* et *Drakenborchii* ipsius libri praebent hanc (*spem*); illam Lov. 5 cum editt. antiquis, praeter Venetam et Mogunt. Jam primum omnium tenendum est, *spem* per compendium vulgo scriptam esse *spm*, super imposita litera e; *spretionem* item potuisse pingi *sptm*, vel *sprtm*, vel *spm*, ita ut lector inde petere posset et *spem* et *spretionem*. Et a vulgi quidem ore non alienum fuisse ejusmodi substantivum, ex Italico sermone, qualis nunc est, qui habet *sprezzo*, non licet colligere, quoniam habet etiam *prezzo* (pretium et aestimatio) a subst. *pretium* non *pretio*. Restat, ut pondera notionum utriusque substantivi exploremus, quaeramusque, quatenus conveniant illi loco et scriptoris consilio, an repugnent; quae ut recte instituatur quaestio, antea necesse est, et rationes rerum, quae Macedones Romanosque illo tempore intercedebant, et hominum illo loco commemoratorum ingenia et narrationis habitum coloremque indagare, indagata exponere, quo facto patebit, lectionem *spem* ducendam esse potiorem, modo ne intelligas cum Sigonio *spem a Demetrio in Romanis collocatam*.

Philippus rex, victus et ad leges pacis a Romanis impositas ut descenderet, necessitate coactus, tum ferebat aegerrime, quod illis intercedentibus ulcisci non liceret Macedonum eos, qui bello defecerant (39, 23, 6), tum odium in Romanos, quos regnum suum appetere, non temere existimaret, conceperat justissimum, atque cives ejus belli a Romanis imminentis metu semel atque iterum terrebantur; concessae vero quaedam Thraciae Thessaliaequae urbes videbantur tantum placasse regis iram, qui a colligendis in pace viribus nunquam avocaret animum, usurus, quando fortuna ejus copiam fecisset. Neque vero vicinae civitates injurias a Philippo regni fines prolatore illatas patienter tulerunt, sed missis semel atque iterum legatis conquesti sunt Romae de rege illo pacis leges migrante. Quibus quum senatus non difficulter datus esset, et consulares quidam missi ad regem de componendis illis litibus (c. 24, 13 sqq.), rex, cujus immaturae etiamnum ad rebellandum vires essent, ut leniret in praesentia invidiam factorum, moramque interponeret, misit Romam Demetrium, filium minorem natu, qui excusatis criminibus deprecaretur senatus iram (c. 35). Gravis autem

esse vicinis omnibus quum non desiisset Philippus, non ita multo post tum publice novae legationes, tum privatim singuli Romam commearunt querendi causa. Ad quas querelas quum non satis gnaviter probabiliterque respondisset Demetrius, placuit (39, 47, 8 sqq.) senatui, legatos in Macedoniam mittere ad dirimendas lites fidemque firmandam. Quae res, cui species praetendebatur honoris Demetrio habendi, *extemplo in invidiam*, mox in *perniciem* adolescenti vertit (c. 48, 1). In Macedonia Demetrius a populo ut pacis auctor excipi, regnumque ei haud dubia spe ab eodem destinari (c. 53). Ad hoc, Romanos *Demetrium* in paterno solio *locaturos*, Persei nullam apud eos gratiam esse (§. 4). Perseus, quamvis major natu, ex pellice ortus, cura angi, ne illa rata fierent; Philippus pater illud, quod aura populari ille feratur, indignari; unde tandem fit, ut, quod Livius c. 53, 9, refert: »*omnis mentio Romanorum, quantam di*»*gnitatem ei apud ceteros Macedonas, tantam invidiam non apud fratrem modo, sed etiam* »*apud patrem*« concilict. Eo tandem res provehitur Philippi crudelitate et nata inde suspicione, atque Persei, in dies auctum apud Macedonum multitudinem fratris favorem dignitatemque cernentis, invidia, ut »*spem regni nullam superesse nisi in scelere* »*ratus, ad id unum omnes cogitationes intendat*« (5, 2), amicis usus foventibus spem potentioris, et id agentibus, ut omni ope in Romanos accendatur rex et ad belli consilia abripiatur. Jam sequitur (§. 7) locus ille ab uno vocabulo suspectus hic: »*Si*»*mul, ut Demetrius in dies suspectior esset, ex composito sermones ad spem* (*spre*»*tionem* alii) *Romanorum trahebant; ibi quum alii mores et instituta eorum, alii res* »*gestas eluderent; juvenis incautus et amore nominis Romani et certamine adversus fra*»*trem omnia tuendo suspectum se patri, et opportunum criminibus faciebat.*« Jam, qui *spem* interpretatus est de spe in Romanis posita, non sensit, *rei* quidem *spem* dici posse pro spe in aliqua re habita seu sita, non item (exempla saltem desse puto hujus rei) *viri spem*, pro spe in viro collocata; et eam quidem ob causam, quod ambigue foret dictum; idemque non vidit, quae paullo post commemorantur, non ad ejusmodi spem pertinere, sed ad consilia et voluntates Romanorum, quarum mentio apud Macedones et alios illius aetatis homines non poterat non quin et quotidie et singulis horis injiceretur, quippe ad quos fere quotidie fama manaret de artibus, insidiis et vi, quibus usi illi et regni proferrent fines et rerum ubicunque locorum gerendarum adferrent momenta. Neque vero latuisse putes sive regem, sive populum Macedonicum, quid sibi vellent illi, qui, victo patre et arctis pacis legibus circumscripto, filium ita irretitum tenerent blandae fallaciae laqueis, profiterenturque ipsi (47, 10) »*obsidem se animum ejus habere, etsi patri corpus reddiderit: et scire, quan*»*tum salva in patrem pietate possit, amicum eum populo Romano esse;*« id quod alia de causa nulla moliti erant, quam, ut, defuncto patre, in regulorum eorum eum habe-

rent numero, qui componerent ad ipsorum voluntatem suam, et cederent denique fortasse adeo terris suis. Quam rem minime dubiam quod in dubium vocabant Persei amici, detrahentes de Romanorum opibus ingeniisque, et *spem* ridebant illorum vanam scilicet tenuemque, ut antea inter eos convenerat, hoc eo pertinuisse consentaneum est, ut admiratione Romanorum maxima adfectus Demetrius orationis captiosae aculeis impelleretur ad effundendum quicquid de illis sentiret, et fortasse etiam, quod cum illis ei convenisset clandestino pacto, quibus cognitis perniciosa ei serere possent crimina proditionis, atque ejus insimulatum de spe regni dejicere. Neque excogitari poterat argumentum sermonis tum invidiosius, tum quo magis exacerbaretur patris animus, quam *spes Romanorum* etiam Macedoniam ditionis suae faciendi, invento adjutore filio suo. Nam hic *omnia* (ab illis vel in dubium omnino vocata, vel saltem elevata) *tuendo* (i. e. defendendo, praedicando, in melius interpretando) *suspectum se patri, et opportunum criminibus faciebat* (§. 8). Cujus rei invidiam adauget etiam cumulatque Perseus haec coram patre jactando: »*Proditorem nolo dicere — cujus, ex quo »obses Romae fuit, corpus nobis reddiderunt Romani, animam ipsi habent. Om»nium paene Macedonum in eum ora conversa sunt: nec regem se alium rentur »habituros esse, quam quem Romani dedissent* (§. 12 et 13);« ex quibus patet, quo revocaverit juvenis regius *spem Romanorum*; eo, sine dubio, fore, ut ipsi regnum pro arbitrio suo deferrent principi suis rebus maxime dedito. Prae ceteris autem omnibus lectioni illi, *spem* R., fidem faciunt diserta ejusdem Persei verba, quibus coram patre et advocatis senioribus quibusdam illius amicis praesente fratre insidiarum insimulato haec disserit (c. 10, 5 sqq.): »*non Romanos habeo, ad quos con»fugiam; perisse expetunt* (en spem *R.*), *quia tuis injuriis doleo —; nec me, nec te »incolumi Macedoniam suam futuram sperant* (en iterum *spem R.*). *Si me scelus »fratris, te senectus, absumserit, aut ne ea quidem exspectata fuerit* (en apertam »*spem*), *regem regnumque Macedoniae sua futura sciunt.*« Quam Romanorum spem ali perhibet et sustentari eo, quod Macedonum magna pars et in Romanis, quos timerent, spem omnem dignitatis fortunaequae posuerint, et »*in eo, qui omnia apud »Romanos possit*« (c. 10, 8). Addit deinde: (§. 10) »*Pro isto Romani stant, pro isto Ma»cedones, qui pace Romana gaudent;*« atque, haec dixisse non satis habens, ex patre quaerit: (c. 11, 1) »*Quo spectare illas literas ad te nunc missas T. Quinctii credis, »quibus — hortatur, ut iterum et cum pluribus legatis et primoribus Macedonum re»mittas eum? — Eum sibi, te abdicato patre, in locum tuum substituit. Quaerun»tur adjutores consiliorum;*« paulo post (§. 8): *Tollatur* (frater major) — *Ro»mani laetabuntur, probabunt, defendent factum.*« Eandem, quae in vulgus ferebatur, Romanorum spem respicit mox Demetrius causam suam apud illud concilium

agens (12, 9) his in verbis: »*si proditor ego patris regnique eram, si cum Romanis, »si cum aliis inimicis patris consilia inieram,*« cett.; item in his (§. 15): »*si et in Romanis »tantum momenti esse credebam, ut, quem vellent, imponerent Macedoniae re»gem, et meae tantum apud eos gratiae confidebam, quid opus parricidio fuit?*« Etiam cap. 16, finita illa disceptatione, narratur, (16, 3) *omnibus adparuisse suspectam nimiam cum Romanis Demetrii gratiam esse*, i. e. suspectam de adjuvanda eorum spe plurimum momenti in Macedonum res per eum sibi arrogandi.

Atque his quidem satis stabilita mihi videntur et lectio *spem* et hujus, quam conati sumus, explicatio.

Lib. XXIV, 18, 3, post cladem apud Cannas acceptam quum propter exhaustum aerarium censores solito operum locandorum munere fungi non possent, eo intentiore cura ad regendos castigandosque civium mores incubuisse, auctor est Livius, et eos quidem primum citasse, qui, abjecto propter illam calamitatem animo desperataque patriae salute, consilia agitasse dicerentur de Italia relinquenda. Quae expositio quum lectori alias offerat difficultates nullas, si quis comparat verba, quae in editionibus recentioribus typis expressa leguntur, cum iis, quae servant voluminis manu exarata, illa quidem: »*Primum eos citaverunt, qui post Cannensem pugnam rem publicam dese»ruisse, Italiaque excessisse velle dicebantur. Princeps eorum L. Caecilius Metellus »quaestor tum forte erat* cett.;« prorsus invenit convenire cum cod. Pal. 3 et prisca edit. Camp.. Contra ea in cod. Palat. 1 et in Lov. 4 quinque illa verba *rempublicam — dicebantur* omnino desunt; in Flor. Voss. Lov. 1, 2, 3, 5 etiam voc. *pugnam*; in Pal. 2 eorum loco haec praebentur: »*qui post Cannensem pugnam fugae consilium »habuisse dicebantur*;« in Mafn. Ber. et Hav. haec: »*qui post Cannensem pugnam Ita»liam deserere voluisse dicebantur*;« postremo in Lov. 5: »*qui post Cann. cladem agi»tasse de Italia deserenda — dicebantur*,« et huic quidem lectioni calculum album adjecit clar. *Otto*. At vero, quum haec ipsa facilia sint ad intelligendum, atque ea, quae explicatione eguisse cujuspiam non videantur, ex qua istam, quam alii codd. habent, ortam esse putes verborum amplificationem; nos rectius nobis videmur statuere, invenisse scribas quaedam in ampliore illa lectione, in quibus offenderent. Et fortasse non nimis nos a vero aberramus, si tautologiae, quam dicant, vitium in illis: *rem publicam deseruisse Italiaque excessisse velle* deprehendere quosdam sibi visos esse, suspicamur, simulque haesisse in verbis *excessisse velle* insolentius copulatis; atque utraque causa inductos, ejicienda quaedam esse, censuisse, quo facto nasceretur decurtata illa lectio *Ottoni* probata. Cui falsae corruptelae suspicioni ita occurrendum esse existimamus, ut, postquam vanam illam fuisse demonstraverimus, de vera corruptela admoneamus Livii lectores, docemusque, quae adhibenda ei sit medicina.

Et utrumque quidem dictum: *deserere rempublicam* atque *Italia discedere* neque idem significat, neque alterum repugnat alteri, si conjungatur, ut in illa lectione. *Deserere remp.* non ubique est *relinquere civitatem, e civitate excedere*; sed significat etiam tantummodo *a rebus, a salute reipublicae animum avocare, mente abalienari a reipublicae caritate;* et illo quidem loco: *a civitatis defendendae et amplius pugnandi studio*, id quod etiam ita fieri poterat, ut non discedentes ex Italia in hostium se permitterent potestatem. Neque enim *cladem Cannensem*, ut hoc statim loco, quid de ea lectione sentiamus, profiteamur, recte scribi putamus, sed *pugnam* Cannensem, atque ita referri ad illa verba *remp. deseruisse*, ut, quia depugnatum censuissent illa pugna ita, ut, aliam denuo committi posse diffisi; denuo pugnandi et spem et consilium plane ponerent, animo sic deseruisse dicantur rempublicam. Quod deinde additur, etiam excedendi ex Italia consilia eos agitasse, hoc profecto gravius etiam delictum videbatur, quum non animis solum, qui ad meliorem frugem revocari possent, sed etiam, quibus relictis reparata aliorum et consiliis et meritis clade Cannensi recens addi posset vigor ardorque, corporibus defraudare patriam, indignum se non duxissent. Diversa igitur illa sunt, neque vero ita, ut sibi repugnent invicem, immo illo loco amice quasi conspirent ad augendam rei turpitudinem noxamque. Accedit, quod paulo post, commemorata senatus sententia, ita variatur a Livio oratio, ut pro *remp. deseruisse* arguantur iidem »*verba orationemque adversus rempublicam habuisse*« (atqui erat *adversus* remp. hoc, quod tum spem abjicerent salutis tum dimicandi studium) et pro *Italia excessisse* exprobretur iisdem *conjuratio deserendae Italiae causa facta.* Crimen igitur in se admisisse videbantur fere duplex, id quod etiam ex iis patet, quae lib. XXII, c. 53, §. 1 de ipso illo facto narrantur, cujus illi nunc subibant poenas. Ex eorum enim numero, qui incolumes cladi Cannensi superstites erant, quum consilia conferrent nonnulli, quid, delata a se ad P. Scipionem summa imperii, in praesentia optimum esset factu, in medium prodiisse P. Furium Philum, atque in hunc modum esse locutum: »*Nequidquam eos perditam spem fovere: desperatam comploratam*»*que rem esse publicam. Nobiles juvenes quosdam mare ac naves spectare, ut deserta* »*Italia ad regem aliquem transfugiant.*« Quo loco habes *mare* ac *naves* pro *pugna recenti* et denuo tentanda ad patriam servandam belli fortuna; habes *deserta Italia*, habes denique *regem* i. e. servitium pro libertate, *fugae dedecus* pro constantiae Romanae decore. Etiam Scipio, acriter invectus in conjurantes, his verbis eos increpat: »*ut ego* »*rempublicam populi Romani non deseram, neque alium civem Romanum deserere pa*»*tiar*,« quae non tam ad non deserendam terram, quam ad non deserendam rem adhuc defensam pertinent. Contra ea brevitatis tantum studio hoc tribuendum est, quod XXIV, 43, 3 simpliciter *conjuratio deserendae Italiae ad Cannas facta* appellatur.

Expositis his, quae pro ampliore lectione illa facere videntur, restat, ut de conjunctione verborum *excessisse velle* dicam, quam, quum corruptelae indicia praeferret, mutandi postea causam attulisse puto. Infinitivus enim perfecti ineptus est, quoniam non haec est sententia: poenitere eos dicebatur, quod non excessissent; sed: dicebantur statim post acceptam cladem excedere voluisse. Sine dubio *excessisse* a scriba aliquo est per socordiam scriptum hoc vitio, ut duo vocabula commiscerentur eo modo, quo utriusque pars aliqua intercideret; quod quum accidisset, alius scriba, illius transscribens exemplum, dum *excessisse* legit, excidisse suspicatus est verbum, quo ille infinitivus copularetur cum verbo *dicebantur*, et inseruit *velle*. Hinc nobis haec conjectura nata est, scripsisse Livium: *excessum voluisse*, i. e. excessum esse voluisse; quod quidem participium passivi (sive infinitivus, omisso *esse*) etiam eo commendatur, quod latius patet, quam activi infinitivi *excessisse, vel excedere voluisse*, siquidem non ad eos tantum pertinet, illa consilia qui agitabant, sed, si non ad omne nomen Romanum, ad milites saltem ex clade Cannensi superstites. Accedit, quod conjungere *velle* et *nolle* cum passivo non alienum est a Liviana oratione. Compara XXXIX, 13, 1: *ne verti vellet*; XXV, 3: *ordinem publicanorum in tali tempore obfensum noluni*; II, 45: *nolle inultos hostes, nolle successum, non patribus, non consulibus.* Non rarius activi infinitivus a Livio illis verbis jungitur; sic: XXXIX, 14, 8: *ne quis — coisse aut convenisse causa sacrorum velit, neu quid talis rei divinae fecisse.* Nullum autem discrimen intercedere inter infin. *perfecti* et *praesentis* tum apud poetas, tum apud Livium, ejusmodi quidem locis, quod praecipit Ellendt gr. l. p. 291, equidem mihi persuadere non possum; immo perfecti infinitivo praecoptus cogitatione rei gerendae demum eventus indicari videtur, et *volo factum* indicat votum ejusmodi, ut, vel propter superandas quasdam difficultates, vel propter exitus commoda, quibus vel illico, vel saltem mox frui velis, jam, si quidem fieri possit, ratam esse et evenisse rem cupias. Hinc *excessum voluisse* est idem, quod, illos mente et cogitatione, quantum in ipsis esset, jam admisisse excedendi ex Italia flagitium et proditionem. Multo audacius etiam et durius neutrum participii usurpatum est XXVIII, 12, 6: »*post Hasdrubalis vero exercitum cum duce — deletum, cedendoque in angulum Bruttium concessum* (= post »concessionem factam int. ab Hannibale) *cui non videatur mirabile*« etc.

XXIV, 43, 3, quem locum paullo ante commemoravimus, fato quodam iniquo accidit, ut itidem magna oriretur codd. discrepantia. Quum enim in editionibus plurimis haec excusa videas: »*Romae quum tribuni plebis novi magistratum inissent, extemplo censoribus P. Furio et M. Atilio a L. Metello tribuno plebis dies dicta ad populum est. Quaestorem eum proximo anno, ademto equo, tribu moverant, atque aerarium fecerant propter conjurationem deserendae Italiae ad Cannas factam*«

haec sive compendio literarum, sive vitio scribarum in codd. deprehenduntur: *propter deseredd actus Italiae at Cannas factam*, in Put.; *desertae actus* Italiae, in Flor. Lov. 2. 3. 4. Harl. Ox. N.; *deserte actus* It., in Pet.; *deferte actus*, in Voss.; *deserendae actus*, in Lovel. 5. Jam de voc. *deserendae* in compendium tantum redacto non ambigitur; *actus* sententiae exponendae non convenire, non minus liquet; et, quod conjectura tanquam verum assecutus sibi olim visus est *Gronovius: metu*, vel *terrae Italiae*, id non magis probari potest. Hinc factum est, ut Divinationum Livianarum auctor, jam semel atque iterum commemoratus, hanc conaretur emendationem: »*propter conjurationem deserendae causa Italiae*« (vel *Italiae causa*); docens *causa* per compendium scribi *cā* (*Goeschen.* ad *Gajum*, pag. LXXXII sq. auctor est, scribas usurpasse c̄, c', c; *Walther.* in lex. diplom. pag. 42, *cā*); mox additam forte fortuna litteram l, *deserendae clā*, et eodem modo deinceps ceteras literas, *t — u — s*, adjunctas esse. Quae literae quo casu irrepserint, quum equidem non divinem, non exigua mihi injicitur dubitatio de fundamento illius conjecturae, et propterea vel maxime, quod, additae causae loco exspectaveris potius vocabulum, quo facti culpa ad causae damnatum referatur. Deinde, quibus *Raschigius* defendit lectionem *deseruisse Italiaque excessisse velle*, ea verba non evincunt rem; nam *velle* cadit in idem tempus, quo *dicebantur*, et eo adhuc tempore, quo Romam ejus rei fama perlata est, illi ista *velle* dici non poterant, quod consilium illud, ubi primum natum, est etiam statim intercedente Scipione sublatum. Quare, quum recens sim a lectis illis *divinationibus*, hoc mihi sumo, ut ipse quoque comminiscar divinationem, et in corrupto illo vocabulo *actus* indagando me reperisse dicam *auctore eo*, ut sic habeat Livii narratio: »*propter conjurationem deserendae auctore eo Italiae ad Cannas* (nisi forte recte conjicio, *ad* sive *apud* »*Canusinos* scripsisse Livium) factam. *Auctore eo* ut assequerer conjectura, hoc imprimis effecit, quod me non fugit, minuendae scribendi operae causa vocabulum *auctore*, quod saepe rediret, pictum esse vel una litera *ā*, vel *āore* (vid. *Goeschen.* ad *Gaj.* p. LXXVI) vel *auc*^{re}, vel *au*^{ore} (v. Walth. lex. dipl. p. 29 et 31), atque saepe usurpari a Livio illud substantivum. Sic lib. V, 6 legis: *Auctores signa relinquendi — palam in concione audiuntur*, et XL, 53: *principes et auctores transcendendi Alpes.* Propter illam, qua inter aequales valebat, auctoritatem idem L. Caecilius Metellus lib. XXII, 53, 5 *princeps* dictus est *juvenum, qui mare ac naves spectarent.* Neque vero ego repugno, si malis conjicere *auctoritate ejus*, quum *auctoritate* per compendium scriptum sit *auc*^{te} vel *auc*^{t}; *ejus* vero *e'*, *ei* et *e*) (vid. *Goeschen.* ad *G.*, p. XCI, *Walther.* l. d., p. 105), atque similia haec: *ex auctoritate ejus*, i. e. consilio, lib. XXXIX, 11, 3 invenias. Magis etiam ut stabiliantur illae conjecturae, de eo admoneo, si qui haec legunt, vocabula *auctum* et *actum* saepe permutata esse a scribis (vid. Lucan.

Phars. I, 45 et 107, ed. Burm.), atque itidem *actorem* et *auctorem* Liv. I, 26, 5; XL, 30, 2; 11, 2; III, 69, 3; XXI, 61, 4, qua de re egit *Drakenborch.* ad XL, 11, 2; etiam *causam* et *casam* (Conf. *Kreyssig.* ad l. XXX, 47), qua ratione illo loco complurium codd. lectio *actus* pro *auctoritate ejus* oriri posset. Verba *ad Cannas* num, praeter *Gronovium*, qui *Canusii* scripsit, etiam aliis offensioni fuerint, nescio; sed equidem, vitio scribae ex verbis *apud Canusinos* ista nata esse, puto, quum *apud*, id quod saepe factum esse constat, facile permutari potuerit cum praep. *ad* (vid. *Kreyssig* ad c. 30, 47), dum scriberetur *ap̄* et *ap*, et *Cañnos*, i. e. *Canusinos*, cum *Cannas*, quoniam, ejusmodi notissimi oppidi nomen frequentius per compendium scriptum esse, facilis est conjectura.

XXXIX, 8—18 enarrat Livius, sacrorum occultorum nocturnorumque contagionem e Graecia in Etruriam, deinde etiam Romam penetrasse, et propter magnitudinem urbis primo clam manasse, denique fortuito casu patefactam consulibus copiam fecisse quaerendi de clandestinis conjurationibus. Etenim T. Sempronius Rutilius quidam, vitricus tutorque P. Aebutii, quum tutelam ita gessisset, ut rationem reddere non posset, hunc vinculo aliquo ita irretire cupiens, ut prorsus obnoxius sibi esset, ipse autem spem haberet impunitatis, per matrem auctor ei fuit, ut Bacchanalibus initiaretur. Qua re cognita libertina quaedam, quacum intima illi intercedebat consuetudo, ut adeo heredem eum bonorum suorum in testamento scriberet, et parce malgneque domi habitum sua magnificentia lautius sustineret, aperit juveni, corruptelarum omnis generis sacra illa esse officinam, cujus rei quum ipsa olim testis fuerit, suadere se ei, ut ne adeat locum, ubi infanda omnia et patienda et facienda sint. Hic, frustra contra vitrici matrisque voluntatem renisus, domo ejicitur, confugit ad Aebutiam amitam, ab eaque admonitus omnem rem defert ad consulem Postumium, unde fit demum, ut, cognita a senatu re, negotium detur consulibus, Bacchanalia per totam Italiam omnia ut tollant diruantque. Jam in media fere illius rei expositione, c. 11, §. 5 sqq., codex Moguntiacus, ad quem conformavit Frobenius editionem suam, ad hanc suas alii, haec habet: »*Scortum nobile, libertina Hispala, Fecenia, non digna* »*quaestu, cui ancillula assucrat, etiam postquam manu missa erat, eodem se genere* »*tuebatur. Huic consuetudo juxta vicinitatem cum Aebutio fuit, minime adolescentis* »*aut rei aut famae damnosa; ultro enim amatus appetitusque erat, et maligne omnia* »*praebentibus suis meretriculae munificentia sustinebatur. Quin eo processerat consue-* »*tudine capta, ut post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore a tribunis et* »*praetore petito, quum testamentum faceret, unum Aebutium institueret heredem.*« Ab his diversa ceteri libri scripti omnes, tam Pall., Gruteri, quam Drakenb. et editiones ante Froben., a verbo inde *erat*, habent haec: »*libera, huic uni adolescenti animum*

»*applicuit; adeo non damnosa famae reique ejus, ut maligne praebentibus suis, ipsa* »*eum magna ex parte opibus suis sustentaret. Jamque eo processerat*« sqq. Et his quidem nuper patrocinatus est cl. *Otto*, tantum splendoris Liviani praeferre, ratus, ut vix ab interpolatore profecta esse videantur. (Divin. Liv. p. 47), damnata altera lectione, quae non pauca habeat, quibus offendare. Cui lubenter equidem largior et concedo, commendari ista et facilitate quadam et tersae orationis urbanitate, ut tamen splendorem negem, atque propter ipsas illas spinas, quibus horret codicis Mogunt. lectio, fidei ejus in universum nihil velim abrogatum, immo malim eam accuratius et exactissimo judicio examinatam. Cujus negotii ipse conabor initium facere ita, ut, quae *Ottoni* suspecta visa sint aliisve, denuo ponderem. Primum ejus argumentum est: Nemo veterum Latinorum dixit juxta vicinitatem pro *per occasionem vicinitatis, pro vicinitate*, sed Justinus demum aliique senescentis latinitatis scriptores. Quod per se quum recte habeat, esse pro argumento tamen h. l. non potest, quia non *una* est illa istius praepositionis notio, immo alia suppetit et satis vulgata et sententiarum contextui apta. *Juxta*, praep. repetita a *jungere*, hanc primam habet vim: *apud, prope, propter*, germ. neben, gr. πρὸς τούτῳ; jam, si quis prope aliquid aliud quidpiam simul, vel junctum habet, hoc *praeter illud* habere dicitur, vel *illi hoc accedere*, unde exsistit notio praepositionis juxta haec: *praeter*, sed ita, ut jungatur ea aliquid rei commemoratae. Attamen *juxta* paulo plus valet, quam *praeter*. Hoc significat, si dispiciatur ab aliqua re, sive esse, sive non esse id, de quo dicas; et, si quid igitur esse dicitur praeter aliquid, dicentis cogitatio procedit quasi ab ea re, extra (praeter) quam aliquid esse sive affirmatur, sive negatur, ita ut *praeter domum tenere hortum* significet idem, quod extra domum etiam hortum tenere; *juxta*, fere idem, quod junctim, subjectam habet imaginem rei alius alii junctae, indicatque, pronti sive loci sive temporis ratio agitur, accedere aliquid proxime sive celerrime ad aliquid. Hinc natum est illud *juxta aestimo* pro aequiparo, seu eodem loco habeo, aeque aestimo; etiam Livianum illud: *rem parvam juxta magnis difficilem* i. e. aeque diff. (lib. 24, 19), et hoc: *apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur*, i. e. proxime a, seu secundo loco (lib. 9, 9). Jam praepositiones, quae proprie sive ad locum sive ad tempus pertinent, ab optimo quoque scriptore saepe tum propter similitudinem, tum ut dilucidior fiat oratio et hominum ad sensus plurima revocantium ingeniis accomodata, etiam ad res referuntur mente cogitatas, atque haud scio, an frequentior sit hic usus apud nullum, quam apud Livium, post hunc apud Tacitum, ita ut non raro ex alterius dictis de alterius oratione conjecturam capere possis. Jam si Tacitus: *periculosiores*, ait, *sunt inimicitiae juxta libertatem*, i. e. per libertatem agitatae (nos Feindſchaften bei demokratiſcher Verfaſſung; German. c. 21),

Livium illo, quem tractamus, loco *juxta vicinitatem* dixisse putes pro *praeter vicinitatem*, ut haec exsistat sententia: praeterquam, quod ipsa vicinitate aliquod vinculum amicitiae, aliqua societas eos intercedebat, quae aliis non esset offensioni, consuetudo quotidiana et familiaritas arctius eos ad societatem vitae bonorumque conjunxerat. Neque enim magis ego, quam cl. *Otto*, assentior cl. *Handio* (ad Tursell. p. 538) consuetudinem a Livio commemoratam ad *vicinitatem* tantum revocanti, quippe cujus sententiae tum ea repugnent, quae c. 10 legis: *vetat eam mirari — secubuisset*, tum etiam matris verba c. 11, 4 tradita: *decem dierum castimonia opus esse*, ut alia omittam aeque indecora. — Jam, quod *Otto* suspicatus est, et quo altero usus est argumento, scribam aliquem offendisse in eo, quod mulier dicta esset *damnosa*, quum vulgo res tantum dicerentur damnosae, eamque ob causam illum interposuisse verba: *huic consuetudo — fuit*, eo paullo acutius suspiciosiusque videtur argumentatus, siquidem scribarum nares non erant fere tam molles irritabilesque, ut ejusmodi moverent dubia et quaestiones. Omnino, quod tanquam rem dicit Livius illam meretricem *damnosam*, hoc ad contemtum revocandum est, quo tanquam de re abjecta de illa loquitur.

Quae deinde affert cl. *Otto* ad defendendam eam, quam amplexus est, lectionem, verba ista: »*huic uni — applicuit*,« orationi Livianae esse simillima, ut lacti lac, atque ea quoque, quibus de verbis *adeo non* disserit, utut probari possunt, tamen illa contracta tantum videtur in angustum expositio eorum, quae cod. Mogunt. continet ampliora, facta fortasse a casto aliquo scriba, cujus verecundia a verbis rem amatoriam redolentibus (*consuetudo — amatus appetitusque — meretriculae*) abhorreret, et, ne alii, dum legerent, itidem erubescerent, verecundius illam rem omnem traderet, amputata verborum luxuria lasciviaque. Atque, in singulis etiam hanc a se probatam lectionem mendis contaminatam esse, confessus, ille vir doct. delet vocabulum *libera*, tanquam supervacaneum, addit *ejus* post *reique; ei* post *maligne* et *omnia* (ex cod. Mogunt. petitum) ante *praebentibus*; quibus factis tamen non omnis est sublata difficultas. Quid enim sibi vult *etiam* illo loco? Quod si tu ita jungis: »*non, etiam postquam manu missa, digna quaestu, cui ancillula assuerat*,« exsistit sententia aliena ab illo loco; nam etiam ancillula dignus ille quaestus non erat. Ad sequentia si *etiam* referas, non magis liquet, quomodo ceteris consentaneum sit; etiam illud: *non magis digna, postquam manu missa erat, quam antea ancillulae munia obiens* — non magis aptum est. Quare, quomodo defensurus sit hanc particulam ille vir doct., quum non videam, operae pretium facturus mihi videor, si codicis Moguntiaci discrepantiam denuo pro virili parte excusserim. Quae quidem in eo primum cernitur, quod post *etiam, postquam manu missa erat*, haec habet: *eodem se genere tuebatur*, quae verba conveniunt cum antecedente part. *etiam*, atque aeque tuentur illam, atque lucem inde

accipiunt, quam paulo post indicabimus. Illa excipiuntur ab his: »*Huic consuetudo »juxta vicinitatem cum Aebutio fuit,*« quo loco quam apte *Aebutii* nomen additum sit, quam male contra absit in altera lectione (*huic uni adolescenti*), quum adolescentis nomen §. 2 commemoratum longissime absit ab illo loco, ita in oculos incurrit, ut verba alterius lectionis, *huic uni adolescenti,* illis posthabenda ducam. *Consuetudo* praeter vicinitatem aptissime commemoratur, quia consuescendo demum adolescens incautus puellae laqueis irretitus erat. Quae post haec legis verba: »*minime adolescentis aut »rei aut famae damnosa,*« non minus apta sunt, quam illa: *adeo non damnosa famae reique ejus, ut* — immo aptiora, quia haec, quae adduntur: »*ultro enim amatus appe»titusque erat,*« tum excusationem continent adolescentuli non sua sponte temereque meretricis consuetudinem appetentis, sed illius amore et benignitate deliniti devinctique, tum demonstrant, mutato vitae genere, Feceniam, olim ab aliis adpetitam, declinantem a turpi quaestus studio, nunc etiam ultro amasse et appetiisse juvenem honestum. Etiam distinctio per *aut — aut* facta magis rei convenit, quam, quod habent alii codices, *famae reique,* quoniam poterat sane aut *famae* ejus damnum adferre, nisi vicinitas et clandestinae consuetudinis facilitas turpitudinem obtexisset obscuritate, aut saltem rei familiari detrimento esse. Quod proximis verbis *maligne praebentibus* interpositum est vocab. *omnia,* hoc quidem adeo probavit *Otto,* ut in alteram lectionem transferret, quoniam participio *praebentibus* deesse non potest objectum, ne ignores, quid praebuerit, hoc quum ex antecedentibus non eluceat. Illa tandem, in quae exit periodus, *meretriculae munificentia sustinebatur,* vi et pondere carere, quis tandem dicat? Quum enim alias meretricum detestabilium, testibus Plauto, Terentio, Horatio, non esset, sustentare munificentia, sed muneribus postulatisque bonis exuere amatores, rarissima quaedam ista liberalitas erat, atque, si non honesta, tamen callida, quippe quae magis etiam obstrictum teneret beneficiis Aebutium. Cum his comparata languent illa: *ut ipsa eum magna ex parte opibus suis sustentaret.* Quam aspere enim et quam acerbe sibi opponuntur dissona illa: *maligne omnia praebentibus suis et meretriculae munificentia,* ut, quae non praebuissent ad victum necessaria consanguinei, suppeditasse et largita esse dicatur non meretrix, sed, per contemtum et ignominiae illis adspergendae causa, *meretricula,* i. e. puella olim serva et ancilla, quae, corpore quaestum quum fecisset servilem, ingenuum nunc alat juvenem! Proximae periodi initium: *Jamque eo processerat,* me quidem judice, item languet, si componas cum illis: *Quin eo processerat consuetudine capta,* quibus aucta longiore familiaritate juvenis caritas melius ante oculos eorum, qui legunt, more Liviano opponitur, quam simplicissimis illis *Jamque eo pr.* His enim necesse est mente addas: *sustentando,* quod non congruit iis, quae paulo post narrantur, haeredem ab ea illum scriptum esse in testamento; illis autem: *munificen-*

tiae, ita ut haec conjuncta obversentur legentibus: Quin eo munificentiae Fecenia processerat, ut non modo, eum, se superstite, in partem venire bonorum suorum, sed adeo, se defuncta, haeredem eorum esse vellet. Eo igitur, ut h. l. repetamus, quod sentimus, inclinat nostra sententia, ut copiosiorem hanc narratiunculae formam a Livii manu profectam ducamus, alteram breviorem, sive propter eam, quam supra diximus nos suspicari, sive quacunque de causa esse decurtatam. Attamen non ita illam fovemus, ut taceamus de ejus vitiis. Officiunt ei, tanquam quidam quasi scopuli, in exordio narrationis haec verba: *non digna quaestu*, quae non habes, quo satis certo referas. Cur enim, ex mente Romani illius aetatis si rem ponderas, scortum quae appellatur, eadem non digna quaestu illo dicitur, delectata illa clandestino adolescentis, qui nondum suae tutelae esset, amore? Et cur *nobile* perhibetur scortum? Amoveri autem potest haec difficultas medicina ex codd. Pall. Lovel. 1. 2. 3. 5, Hearn., L. 1 et priscis editt. petita, in quibus pro *non digna* invenis: *nomine digna*, quae verba per se vitiosa copiam faciunt conjectandi, scripsisse Livium: *non indignata;* porro *quaestū* per compendium scriptum esse pro *quaestum*, qua de re ut tibi persuadeam si mihi contigerit, en tibi lectionem, quae simul particula *etiam* ut explicatur, ita firmatur, hanc: »*Fecenia, non indignata quaestum* (indignari vicem, Cic.), *cui ancillula »adsueverat, etiam postquam manu missa erat eodem se genere* (i. e. quaestus) *tueba»tur.*« Hinc patet simul, unde munificentiae copia meretriculae suppetierit manu missae, ex continuato illo quaestu; simul etiam, quo pertineat epith. *nobile*, ad famam turpem, ad ignominiam vulgatam ejus, quae non desiisset, parum caste vivere, id quod etiam ex reliqua narratione, tum ex ipsis illius verbis patet, quibus Sulpiciam c. 13, 1 alloquitur: *ne mulieris libertinae cum amatore sermonem in rem non seriam modo, sed capitalem etiam verti vellet.* Restat, ut verba *se tuebatur*, pro: *se sustentabat*, alio Livii loco comprobem, V, 4, quo haec leguntur: *agrum colere, unde domi militiaeque se ac suos tueri posset.*

Etiam in extrema illius memorabilis facti narratione, quod ad tollenda valuit in Italia Bacchanalia, discrepant magnopere libri manu exarati, quorum alii *non eadem dicere* exhibent, alii rectius *eandem* (cod. Gaertn. et Lovel. 5, item ed. priscae). Gravissima illa verba *per se* unus suppeditavit Moguntiacensis, idemque, si recte habet conjectura, cetera, quae ab Aldo primum recepta, in recentioribus editt. omnibus fere repetita sunt, et recte quidem, quippe in quibus nihil insit offensionis; nam *eum* significat testem talem, tam gravem, certissimum, qua notione pron. *is* semel atque iterum usurpat Livius. Quae quum ita statuam, digna illa mihi videntur, quae defendam contra *divinationum* auctorem, qui, ceterorum librorum auctoritati plus tribuens, ex quibus haec collecta sunt: »cum nequaquam dicturum tibi omnia exposui. Nam af-

fore, qui ab illa audisset alia« (ex Lovel. 5); atque: »cum tibi omnia exposui, nam qui ab illa audisset alia» (ex ed. Asc. 1513), haec nova composuit: »*Neganti ultra quidquam »scire, non eandem, dicere, si coarguatur ab alio, ac per se, fatenti, veniam aut gra»tiam fore. Jam tibi omnia exposui. Nam affore, qui ab illa audisset alia.*« Et illorum quidem: *Jam tibi omnia exp.*, hanc esse sententiam, ait, minaciter consulem, satis se dixisse, profiteri, quae in hac causa perpendenda essent publice interrogatae de crimine commisso; si qua incommoda in eam inciderent propter scientiam negatam, eorum culpam ipsam sustinere. Mirus autem durissimusque quum formetur ab oratione obliqua transitus in rectam, excusandi causa eam esse perhibet orationis concitatioris rationem, ut per apostrophen, quam dicunt, graviora effundantur ab oratore, sedatiora oratione leni obliquaque pronuntientur. Quae quum per se vera sint, hujus tamen loci ea est ratio et natura, ut non tantum, quemadmodum I, 13, 47; 23, 45, 7; 32, 34, 5, finita oratione obliqua, subito transeatur in rectam, et haec ad finem usque dicendi continuetur, sed subito iterum emergat oratio obliqua, ita ut illa exempla comparari cum hoc loco prorsus non possint. Ac neque res tractata est ejusmodi, ut mutata obliqua in rectam oratio momentum faciat aliquod, neque verbum *exposui* accomodatum est consulis minantis adstrictae brevitati. Etiam *ira* consulis hoc loco adhuc est nulla, quae c. 13, 2 demum incensa esse dicitur: *Hic Postumius accensus ira — ait.* Et ne vocabulum *alia* quidem in directae illius orationis fine suo loco positum esse videtur, quum non *alia*, i. e. diversa, ex ea muliere audire velit consul, sed plura (et cetera, et *ultra quidquam*, §. 8), et quae non ad ipsam, sed ad Bacchanalia pertineant celebrata. Male factum igitur mihi videtur, si quis illam narrandi asperitatem ex corruptis codd. voluit obtrudere Livio, quum sana exhibeat liber Moguntiacensis, qui, quod non negligendum esse mihi quidem videtur, pro vocabulo *quum* ante haec: *initiatam se non inficiaretur*, habet *quod*, in quo latet fortasse etiam rectius illud, *quoad*, quo reposito haec sententia exsistit: primum quidem laudare id ipsum, quoad initiatam se esse non inficiaretur, verum etiam reliqua eadem fide esse expromenda. — Id *ipsum* autem h. l. est fere idem, quod: *hoc unum*, *vel hoc*, ita ut opponatur *ceteris* paulo post ex ea quaesitis.

XXIV, 36, 3 *Drakenborchius* typis excudendum curavit: »*Sub idem fere tempus »et naves longae quinque et quinquaginta Karthaginiensium cum Bomilcare classis »praefecto in magnum portum Syracusas ex alto decurrere;*« verum voc. *praefecto* desideratur in decem libris m. exar., quos ille editor enumeravit, ut margini tantum Pal. 1 adscriptum sit *magistro*; Palat. 2: profecto, i. e. *praefecto*. Jam clar. *Otto* illud vocab. *magistro* excidisse putat propter similitudinem syllabarum similium in his per compendia scriptis: *classis mag*. *in magnū portū* prope se excipientium; idem-

que ad defendendam illam lectionem de eo nos admonet, *magistrum equitum*, *magistrum populi* (pro dictatore), *magistrum morum* (pro censore), et *magistrum militiae* quum nossent Romani, etiam classis praefectum dici potuisse *magistrum*. Attamen hoc equidem in dubium voco propterea, quod *magistri* vocabulo subjecta est fere semper notio *praeceptoris*, unde recte appellatus est *magister equitum*, *convivii* cett., quippe qui et doctrina et usu exemplum praeiret; navium vel classis magistrum appellatum esse, vix est veri simile. Quare nos statuimus, etiam voc. *classis* non esse a Livio scriptum, quia ambo vocabula *classis mag.* vel *praefectus* prorsus abundant, postquam scripsit Livius *naves longae — Carthaginensium cum Bom.* Nam variare solet Livius orationem ita, ut sive *venisse aliquem dicat cum militibus* sive *cum classe*, sive *milites, navesve cum aliquo.* Sic 23, 41, 10 *Bomilcar cum militibus — elephantisque*, non commemorato ejus imperio; 25, 25, 11: *Bomilcar — cum triginta quinque navibus — vela in altum dedit*; c. 27, 2 *Bomilcar cum classe —*; contra ea 28, 4: *classis Romana cum M. Valerio Laevino* cett.

In eodem c. 36, §. 7 haec verba: *et Bomilcar, simul parum fidens navibus suis, duplici facile numero classem habentibus*, hactenus non vacant offensione, quod *facile habentibus* inepte dictum videtur, idemque (praeter unum Put.) a codd. non satis stabilitur, in quibus vel *classem haudventantibus* (Flor. a m. 1) vel *adventantibus* (ib. a m. 2; cod. Cant. Voss. Lov. 1. 2. Harl. et Hav.) vel *classe advenientibus* inveniri, olim auctor fuit *Drakenb.* Hinc cl. *Otto* suasit, ut: *duplici facile numero classe adventantibus* sinceram ducamus lectionem. Verum enim, tres ablativos parum suaviter cumulatos piget nos obtrudere Livio, quamdiu quaedam restat corruptelae suspicio, fortasse in part. *adventantibus* sitae. Suspicamur enim nos, *adventantibus* natum esse vitio scribendi ex *adjuvantibus*. Solebat enim *adjuvante* per comp. scribi adiu^{vte}, ergo *adjuvantibus:* adiu^{vtibus}, unde quam facile *advent.* potuerit nasci, satis liquet (nam *vent* est uēt, ergo aduēttibus pro adventantibus). Habuisse vero Romanos prope Siciliam centum navium classem, c. 27, 5 legimus.

Lib. XXIV, c. 40, §. 5, quas varias varii codd. exhibent lectiones, huc transscribere non lubet, sed unum illud commemorare, ea, quae nuper ad corrigendum locum corruptum tentavit cl. *Otto: M. Valerius duobus millibus militum praesidio ejus loci cum T. Valerio legato relictis*, continere voc. *militibus*, praep. *cum* et part. *relictis*, quorum nullum est in codd. vestigium. Contra ea nobis probabile videtur, Livium scripsisse: *praeside loci ejus* vel *loco ejus relicto*, quae per compendium ita exararetur: *praesidō ei*, unde deinde illa nata sint: *praesidio* cett. *Praesidis* nomen aptum est, quoniam M. Valerium: *praesidentem classi Brundusio Calabriaeque circa litoribus* di-

xit Livius §. 2. Idem M. Valerius lib. 28, 10 *tuendae circa Siciliam maritimae praefuisse* dicitur. Praesedisse autem classi quod §. 2 traditur M. Valerius, n. exercitui, dubium omnino movet de bis mille militibus, quos aliquot codices commemorare videntur.

Lib. XXIV, 42, 6 haec legis apud *Drakenb.*: *Sed gens nata instaurandis reparandisque bellis, Magone ad conquisitionem militum fratre misso, brevi replevit exercitum* cett., quae verba, tum per se tum propter codd. discrepantiam non levem suspecta, varie sunt a vv. dd. vera sinceraque investigantibus mutata. In his nuper cl. *Otto* post voc. *militum* inserere jussit praep. *cum*, ablat. *fratre* de Hasdrubale interpretatus, *gentem* de universo Carthaginiensium populo, non (ut *Doering.* olim) de *gente Barcina*. Cui interpretationi officiunt verba: *animosque ad tentandum de integro certamen fecit*, quae non ad universam Poenorum gentem referri possunt, sed eo loco, quo collocata vides, non mutatis ceteris, nonnisi ad exercitum Carthaginiensem in Hispaniis bello gerendo intentum, qui ipse supplementa colligendo vires sibi addidisse dicatur animosque. Contra ea nihil impedit, quo minus *gentem* intelligas Barcinam, ita ut a narrationis auctore Hannibalem simul intellectum esse putes nunquam otiosum, nunquam ab armis Romanorumque odio cessantem. Conjunctio *sed* ab initio periodi posita ambabus cladibus antea acceptis ea opponi indicat, quae deinde narrantur. Sententia haec est: Bis brevi tempore interjecto victi sunt Poeni, sed gens, quae eorum rebus praeesse solebat, tanquam nata ad resarcienda belli incommoda, mox reparavit amissa. Atque illa quidem difficultas, quae in ablativo *fratre* non adjecta ulla praepositione cernitur, facile ea, quam nonnulli olim inierunt, ratione tollitur, ut ante illud substantivum interponatur praepositio, non *cum*, sed *a*, quae facillime excidere poterat, si *milit. a* quis scriba pinxerat, atque alius *militum* inde repetebat. Quo facto non haerebis, nisi in subst. *gens* nullius vocabuli adjectione illustrato; cui haesitationi ut subveniatur, unam ego literam ū excidisse dico in codd. post illud subst. *gens*. Illa enim litera, superscripta lineola, significat *una* (vid. Walth. l. l. p. 413), at quum in voc. *nata* sequeretur similis syllaba, illa ut omitteretur, facilis erat scribae error. De quo si mihi contigit, ut tibi persuaderem, habes hanc sententiam: *Sed gens una nata instaurandis reparandisque bellis, Magone — a fratre Hasdrubale*, (Gisgonis filio, penes quem summa erat imperii, vid. lib. 41, 5), misso, brevi tempore supplemento exercitum explevit, animosque militum erexit ad certamen denuo ineundum.*)

*) Favet illi conjecturae, quod similiter Cicero, Or. I, 22, dixit: *Cum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum — cognossem.* Eadem vi Livius lib. 24, 34: *nisi unus homo Syracusis ea tempestate fuisset.*

Lib. XXVII, c. 4, 12 defendendae codd. lectionis partes suscipere visum est. *Drakenb.* editio haec ex codd. petita exhibet: »*iisdem ferme diebus, Anagniae terram ante »portam ictam, diem ac noctem sine ullo ignis alimento arsisse (nuntiatum est),*« maximam partem vera. Mira contra disseruit de hoc loco Dukerus haec: »*non memini, me hoc »usquam alibi inter tot prodigia a Livio memorata legere;*« quasi necesse sit, plus semel quodvis prodigium incidere; quare magis etiam miror, tantum *Ottonem* illis tribuisse, ut pro documento corruptelae iis usus, ex lect. *ternam* (cod. Flor. Put. Reg.) conjecturam caperet, latere in ea vestigium nominis alicujus urbis casu extincti, et *Terracinae* quidem, quum alio loco, lib. 29, 14, itidem narrasset Livius, *Terracinae portam, Anagniae et portam et multis locis murum de coelo tactum.* Sic enim scripsit: *Anagniae et Terracinae portam ictam* sqq. Commemoratis vero sex Livii locis, quibus oppidorum moenia portaeque coelitus tactae dicuntur, non probatur, quod vir cl. non vidit, fieri potuisse, ut una porta sine ullo ignis alimento diem continuum noctemque arderet. Contra ea nemo, ut nunc sunt physicis plurimi homines eruditi, dubitabit, quin *terra* fulmine icta tamdiu arserit. Accedit Plinii auctoritas, qui hist. nat. II, 111, narrat, *subjectis Ariciae arvis, si carbo deciderit, ardere terram*; causasque cap. 51 exponit, propter quas in confiniis Romae maxime et per Campaniam tonitrua fulminaque multo crebriora sint, quam aliis Italiae in partibus. Erat igitur fulminis ictu incensus ignis subterraneus, quem nunc dicunt, qua de re, *insigniter corruptum* ne appelles cum *Ottone* illum locum, audi physicos.

Lib. XXVI, c. 11, §. 9 in his verbis: *His omnibus donis tum spoliatum templum; aeris acervi, quum rudera milites religione inducti jacerent, post profectionem Hannibalis magni inventi*, tum *Dukerus* haesitavit, tum *Walchius* (in emendatt. Liv.) qui, aera quum intelligeret non facta, verbum *inducti* mutavit in *intacti*, militesque, conjectavit, aera secum allata, quum auri argentique largam invenissent praedam, projecisse. Verum haec ponderanti duo afferuntur dubia; alterum, utrum credibile sit, Poenos, quum aeris non magnum esset pretium, tantum secum portavisse, ut pretium esset ingentis operae; alterum, num consentaneum sit, illos milites, direpta fere universa Italia, aera secum gestasse. Atque illa si fuisset Livii sententia, sine dubio non *jacerent* scripsisset, sed *abjicerent.* Quod sine dubio sensit etiam *Boettcherus*, verba illa, *religione inducti*, de contemtu irrisioneque interpretatus, qua Poeni praedati, rapto auro argentoque, aera a se allata diis peregrinis projecissent. Et ludibrii quidem causa factum hoc esse, a barbarorum mente non nimis alienum est; sed, unde illa aera, quaero, et num attulisse milites credibile sit? Attamen hunc sectatus cl. *Otto*, eandemque amplexus ludibrii opinionem, addidit de conjectura *non* ante *inducti.* Nos, nihil prorsus mutandum esse statuentes, in animis rapacium militum certamen quoddam

pugnamque exortam esse, existimamus, avaritiam inter, magnarum opum adspectu censam, atque numinis verecundiam horroremque, cujus rei exempla historiarum in libris multa traduntur. *Rudera* vero necesse est illo loco alia, quam quae ab aliis iis subjecta est, *aeris rudis*, intelligas notione. Ante illa enim verba haec tu legis: »*Ca-penates — primitias frugum eo* (in templum ea tempestate inclytum divitiis) *dona-que alia pro copia portantes, multo auro argentoque id exornatum habebant.*« Ejusmodi vero templorum ornatum constitisse, scimus, non tantum aheneis portarum liminibus, postibus valvisque, columnis et sigillis, sed etiam altaribus atque vasis, quae auro argentoque caelata erant, vel gemmis unionibusve distincta (vid. b. M. Od. Muelleri archaeol. p. 377) et immissis insertisque in muros imaginibus. Quicquid igitur sive auri, sive argenti, sive gemmarum esset, hoc puto milites vel effodisse vel erasisse vel effregisse, ut secum auferrent, aera autem, quibus illa sive affixa essent sive inserta, jecisse, i. e. in humum projecisse, atque hoc quidem sive re vera fecisse religione perculsos, sive ab intrantibus templum direptum creditos esse fecisse. Ista sunt *rudera*, quae nos intelligimus, ergo fragmenta, quae eruebantur e muris, vel labefacta proruebant.

Lib. XXV, 25, 8 res exponuntur Syracusis gestae, ubi Marcellus, quum Philodamum, Euryali muniti praesidem, ad deditionem frustra evocasset, Neapolin inter atque Tycham castra posuit munivitque pro locorum natura temporumque rationibus. Neque enim aggeris altius egerendi materia suppetebat, neque muris ab hoste obsessis murum opponere licebat. Ut tamen aliquatenus tutos praestaret milites suos a telorum hostilium ictibus, subitove hostium impetu, simulque suorum praedae cupidorum temerarias excursiones aliquamdiu coerceret (§. 5), sunt *castra tectis parietum pro muro septa;* quae verba quos objecerint interpretibus scopulos, et quomodo varie variis temporibus mutata sint, quum longum sit, exponere, quomodo nobis videantur sananda, paucis exponere visum est. Et primum quidem *pro muro* quod dicit narrationis auctor, mirum nobis non videtur, quum apud eundem (30, 10, 6) *naves pro muro* fuisse legamus. Verba illa *tecta parietum*, quae esse corrupta omnes interpretes uno fere ore consentiunt, nata nobis esse videntur ex verbis *textis salictorum*. *Texta* et tecta quomodo facile permutari potuerint, satis patet. Voc. *salictorum* per compendium scriptum est *Salict*, vocab. *parietum* decurtatum est *Pariet*, ita ut numerus literarum constet, ac trium tantum opus fuerit levi corruptela ad corrumpendum totum vocabulum. Et haec quidem de literarum facili corruptela. Ad rem ipsam quod attinet, vel tenuissimo interdum munimento se tutatos esse constat exercitus castra locantes. Sic Livius noster lib. 25, 36 auctor est, »*in Hispania duce Scipione milites Romanos, ut tamen »aliquam imaginem valli objicerent, clitellas illigatas oneribus, velut struentes ad alti »tudinem solitam, circumdedisse cumulo sarcinarum omnis generis objecto, ubi ad molien-*

»*dum clitellae defuerant.*« Etenim, quod paulo antea traditum legis, erat adeo nudus tumulus et asperi soli, ut nec *virgulta vallo caedendo*, nec terra caespiti faciendo — apta inveniri posset*). Ab eodem 10, 38: *locus conseptus cratibus, pluteisque* commemoratur. Pro viminibus nostro loco *salicta* appellata sunt, quod nomen etiam 23, 19, invenis in his: *obnata vipis salicta.* Horum autem copia suppetebat sine dubio, quoniam castra prope Anapum fluvium et loca paludosa ponebantur, in quibus imprimis salices solent nasci, ita, ut significarentur salices illo ipso loco natae, quae connexae nativas fere exhiberent crates, exigua saltem et arte et opera factas. *Salignas crates umbonum* habet Virg. Aen. 7, 632. Prae ceteris locis ad stabiliendam conjecturam meam facit Taciti ann. XII, 16: *moenia non saxo, sed cratibus et vimentis, ac media humo adversum irrumpentes invalida erant.* Idem hist. II, 21 *pluteos cratesque et vineas — protegendis oppugnatoribus* commemorat; etiam III, 20: *pluteis cratibusque protegi.*

Additamentum ad quaest. de lib. XXIV, c. 43.

Ad firmandam non levi auctoritate conjecturam: *auctore eo*, qua corrupta sanare studuimus vera, compara Frontini strategem. lib. IV, 39, ubi ex verbis: *Post Cannensem cladem, perculsis ita Romanorum animis, ut pars magna reliquiarum nobilissimis auctoribus deserendae Italiae iniret consilium, P. Scipio — pronuntiavit* sqq., illum scriptorem legisse in Livio ea colligas licet, quae nos de conjectura scripsimus, verba.

---

*) Eodem pertinent Caesaris (b. civ. 1, 27) haec: fossas transversas viis praeducit, atque ibi sudes stipitesque praeacutos defigit. Haec *levibus cratibus terraque inaequat.* Ipse Caesar (ibid. III, 46) *receptui suorum timens, crates ad extremum tumulum contra hostem proferri et adversas locari — jussit.* In rem sunt etiam haec Curtii (V, 3, 7): caesaque materia *cratibus* et *pluteis* faciendis, ut — extra teli ictum essent, urbem obsidere coepit. *Crates* (sive *plutei*), interprete Isidoro (18, 11), sunt *corio crudo intentae, quae in opere faciendo hosti objiciuntur. Agger*, auctore Vegetio de re milit. IV, 15, *ex terra, ligniaque extollitur.* Etiam vinearum tectum cratibus contexebatur, latera vimine sepiebantur, ne saxorum, telorumque impetu penetrarentur. (Ibid.) Idem docet lib. III, 8: *sepibus ductis, vel interpositis stipitibus, ramisque arborum, ne terra facile dilabatur, agger erigitur. Super quem, ad similitudinem muri, et pinnae, et propugnacula componuntur.* Commemorantur *crates textae* etiam a Vitruvio (X, 14) in his: *Circum tabulata* (tentudinum) *collocentur crates ex tenuibus virgis creberrime textae cett.*

Schulnachrichten.

I. Chronik des Gymnasiums.

Nur zwei Ereignisse von Wichtigkeit für das Gymnasium hat der diesjährige Bericht zu nennen. Das erste ist des an des verewigten Brönnemann Stelle berufenen Lehrers Conrad Ludwig Meyer Eintritt in das Lehrer-Collegium und der Beginn seiner amtlichen Thätigkeit mit dem Anfang des neuen Schuljahres. Derselbe ist geboren den 16ten Juli 1816 zu Altenau, besuchte das Gymnasium zu Clausthal 10 Jahre, war dann 2 Jahre Hauslehrer, und 2½ Jahr in dem Schullehrer-Seminar zu Hannover.

Das zweite gleich erfreuliche ist der wirkliche Beginn des Baues eines neuen Schulhauses in der wünschenswerthesten, freundlichsten Lage, in der Mitte zwischen Stadt und Vorstadt. Nicht gering waren die Schwierigkeiten, welche der bis in bedeutende Tiefe lockere Boden darbot, aber fester Wille, Kraft und Kunst überwanden sie vollkommen. Ein halber Wald sank in den Boden, um als Rost die sich durchkreuzenden Gewölbe zu tragen, aus denen sich des Gebäudes Unterlage zu der gewünschten Höhe erhob, und mit des Herbstes Ausgang stand fest gemauert in der Erde das schöne Fundament; ein treffliches Vorbild für das von denjenigen zu erstrebende Ziel, welche binnen Jahr und Tag in dem auf solchem Grunde ruhenden Gebäude noch größere Schwierigkeiten zu lösen berufen sind.

II. Allgemeine Lehrverfassung.

Außer dem Wechsel einiger Lehrgegenstände unter den einzelnen Lehrern fand zunächst die Veränderung Statt, daß in der fünften Classe der bis dahin in derselben mit 2 Stunden wöchentlich begonnene Unterricht im Griechischen aufhörte, und dagegen diesem Lehrgegenstande in der vierten Classe zwei Stunden wöchentlich zugelegt wurden, so daß in derselben der Anfang jener Sprache gleich mit sechs Stunden gemacht wird, was leichter und schneller zu dem gewünschten Resultate führt, und für die Lernenden, wie für den Lehrer, angenehmer ist, als wenn mehrere Sprachen zu gleicher Zeit in einer Classe begonnen werden, wie bisher in Quinta das Französische und das Griechische. Von den 2 dieser Sprache in jener Classe früher gewidmeten Stunden ist nun je eine zu Verstärkung des deutschen und des französischen Sprachunterrichts verwandt worden.

Der Zeichnenunterricht in der Reihe der Lectionen hörte in Quarta wegen des durch die vermehrte Zahl der Schüler beengten Raumes auf, und wurde auf vier Nachmittags-

stunden am Mittwoch und Sonnabend, von 3—5 Uhr, verlegt, so daß derselbe, da er auch in einem passenderen Lokal Statt findet, zugleich von Schülern der oberen Classen besucht werden kann, denen früher diese Gelegenheit, sich im Zeichnen zu üben, nicht geboten werden konnte. Dieser Unterricht wurde provisorisch von dem Maler Göhner ertheilt.

Die regelmäßigen Leibesübungen auf dem Turnplatz hatten trotz des ungünstigen Sommers unter der sorgsamen Aufsicht des Conr. Hoffmann und des Lehrers Meyer ihren ununterbrochenen Fortgang. Zum Zeichen der Anerkennung des Verdienstes, welches sich Conrector Hoffmann durch mehrjährige Leitung jener Uebungen um das Gymnasium erworben hatte, erkannte ihm der hochverehrliche Magistrat, als Patron des Gymnasiums, im Anfang dieses Schuljahrs eine Gratification von 50 Thalern in Golde zu.

III. Hülfsmittel des Unterrichts.

